






VIII
67
K6
63









❡Bernardi Zane Patritii Veneti Prothonotarii Apoſtolici Artium Docto. & Sacræ Theologię Magiſtri: Oratio Paſſiõis Dominicæ corã Alex andro. vi. Pont. Max. & Sacro Cardinalium Se natu: In Vrbe habita.



I ulla unq̃ antea dicendi uis perorandi fa/cultas/ nexus oratiõis ſeſe cuiq̃ obtulit Beatiſſime ac Sacratiſſime Pont. Max. hodierno mihi potiſſimũ die in tanto redẽptionis noſtrę miſterio mens deficit/ exprimere nõ poſſũ quod ſentio/ nec ſentire quod locus/ qđ dies ipſa expoſtulat: nec ipſa quoq; oratio principii ne dũ finis eſſe compos uidetur. Eſt enim mihi non ſine magna quadam animi trepidatione dicendũ de acerbiſſima Chriſti (hoc eſt Dei noſtri) paſſione: quod ſane uerbum ipſa tantum prolatione & ſummã nobis admirationem parit/ timoremq; nõ mediocrem incutit. Quis enim tam excellen/tis ingenii/ iudicii tam caſtigati/ tam rarę cognitionis/ induſtrię tam elaboratæ ſibi poſſet perſuadere rerum omnium Creatorem/ ac ſummum uniuerſi Opificem creaturarum paſſionibus fuiſſe ſubiectum? Id nempe arduum ac pene impoſſibile uideretur niſi iam diu & a Prophetis (hoc eſt uiris diuinitus inſtitutis) ueriſſime pręſagitum: & a patribus noſtris diligentiſſime circũ/ſpectum: & a Sanctiſſimis Chriſtianę Religionis pro/feſſoribus poſteritati fuiſſet accuratiſſime demandatũ. Nec ob idipſum nequit mens noſtra non admirari non

a



obstupescere/non contremiscere in tantę rei contempla
tione. Et ut de me loquar Pont. Sanctissime Quotiens
in supremę huius Redemptoris nostri passiōis memo/
riam incidi (incidi autem sæpissime) uisum est mihi
profundissimæ difficultatis pelagus/difficillimę pro/
funditatis misteriū: ad quod subeundū q̄ dispares sint
ingenioli mei uires non ignoro: nec id equidem susce/
pissem si uerba non essent facienda corā Sanctitate. T.
Quæ īmensa benignitate mihi hoc in loco alias oranti
tam gratam/piam/patientemq; se præstitit ut animus
uires suscipiat: mens difficillima queq; aggredi nō du
bitet: intellectus etiā resipiscat. At cū a diuinis semp
auspicari: ac diuino initi auxilio rei/loco/personisq;
conueniat in præsentia Quo me uertam/cuius opem
implorem non satis inuenio. Diuinū Patrem inuocare
nec possum/ nec debeo utpote Qui proprio unigenito
non pepercit: imo uero omni pene destitutum auxilio
passioni dimisit. Filium ipsum quomodo inuocabo:
cum hodierno die nullam non mihi solum præstare
opem queat: uerum etiam uix ipse sibi sufficiat: nec eo
rundem Spiritum auxiliarem comitem expectabo/
Qui sicut amborum nexus ita eorū operibus inherens
nobis (hoc est) creaturis nundum suę claritatis radios
impartiuit. Non angelos: non cœlestia corpora: non
creaturas cæteras implorabo: ea enim omnia ob trucu
lentissimam sui Creatoris passionem uniuersi terrarū
Orbis luctum mœroremq; uultu ac habitu immutato

uerissimis quoq; argumentis apertissime attestantur.
Deueniam ne (ut fieri cõsueuit) ad gloriosæ Virginis
auxilium? Quid nam obsecro auxilii Pont. Sctissime
Mulier semiuiua Deum filiũ dira morte peremptum
intuens præstare nobis posset? Ad sanctissimæ igitur
Crucis lignum me conuertam/ ut sicut nostræ redemp
tionis inicium extitit: ita nũc me ab obscurissimis tene
bris ad præclarissimã ueritatis lucem deducat suplex
orabo. O Crux ppetuę fœlicitatis uereq; beatitudinis
causa quæ nos a fluctuantibus pelagi tempestatibus
ad securissimũ trãquilitatis portum/ a ppetuo interitu
ad sempiternam uitam/ a teterrima peccato℞ caligine
ad purissimam innocentiæ lucem traduxisti succurre
misterium tuũ aggredienti. Amen. Si uellem hodie
Pont. Sanctissime quæ de hoc sacratissimo redemptio
nis nostræ munere Doctissimi ac Sanctissimi uiri ma
iores nostri memoriæ prodiderunt apud Beat. Tuam
omnia recensere acies ingenii/ memoriæ uis/ mentis
deniq; intuitus in tam angusto temporis articulo/
quin tempus ipsum mihi defficeret. Quare quæ po/
tiora illi censuere/ & nos agnoscimus. T. forsan Beati
tudini minus ingrata non examussim referre/ sed cur/
sim admodum delibare proposui. Summus equidem
Auctor humanæ naturæ omnipotens Deus animad/
uertens eam ob primo℞ parentum præuaricationem
naturalis innocẽtię libertatẽ amisisse: nec præcedentiũ

Sanctorum merita reparare potuisse siquidem lata in transgressorem sententia omnem captiuæ posteritatis progeniem per quinque millia annorum curricula uel fere amplius infecit: eius miserendi causam nullam prorsus nisi suę bonitati consentaneã nactus admirandum summę pietatis suę Sacramentum constituit: proque nostra redemptione (quod mirabile dictu est) proprium unigenitum acerbissimæ morti obtulit. At uero cuipiam fortasse prima statim fronte occurret nunquid redemptionis nostrę quempiã alium possibilem/ & minus laboriosum inuenire modũ potuisset: quod facillime enodatum atque solutũ inspicit possibilis distinctione pposita quæ possibile simpliciter/ & ex suppositiõe complectit Simplici possibilitate Deum secus q̃ per eius unigeniti passionem lapsum hominem redimere potuisse: nemo quidem sanæ mentis ambigat/ Vnde Lucæ primo. non erit impossibile apud Deum omne uerbũ. Diuina aũt præscientia prouidentiaque supposita utique simul possibile non erat eius filium pati/ & lapsum hominem alia ratione preterq̃ saluberrima eiusdem passione liberari Quam sane rationem cæteris omnibus digniorem/ & magis cõsentaneam proculdubio intuemur: cum quia homo ad Deum mirifice diligendum/ maximopere amandum/ & propensissime uenerandũ continuo inuitatur/ excitat/ inflãmat ut se ob eius passionẽ a penni infœlicitate/ a morte perpetua/ a sempiterno cruciatu uendicatũ gratissime contemplatur: Vnde Apostolus

ad Ro. v. Cõmendat suam charitatem Deus in nobis
quoniã cum inimici essemus Christus pro nobis mor/
tuus est. tum uel maxime quia sicut homo per immen/
sam demonis prauitatem uictus/per malitiã deceptus
per fraudem seductus infœlicitatem perpetuam mor/
temq; sempiternam promeruisset: sic homo Deus pra/
uitatem cõfunderet/ malitiam conculcaret/ & fraudem
ipsam moriẽdo penitus aboleret: ut inquit Apostolus
prima ad Corint. xv. Deo gratias qui dedit nobis ui/
ctoriam per Iesum Christum filium eius: & secũdo ad
Hebr. ut p mortẽ destrueret eum qui habebat mortis
imperiũ: & liberaret eos qui timore mortis per totam
uitam obnoxii erant seruituti: accessit & nobis exem/
plum obedientiæ/ humilitatis/ cõstantiæ/ iustitiæ cæ/
terarumq; uirtutum ac animi perfectionũ quas uti ad
humanam uitam bene beateq; degendam oportunas:
ad dignitatem atq; salutem nostrã honestissime prote
gendam acomodatas: ad ueram illam beatitudinẽ glo/
riose comparandam maxime necessarias Christus in
eius passione nobis ostendit. Vnde prima Petri secũdo
dicitur passus est pro nobis uobis relinquens exemplũ
ut sequamini uestigia eius. Hæc igitur redemptionis
nostræ ratio non solum diuinę prouidentię cõsentanea
uerum etiam finis necessitate proposita uisa est q̃ maxi
me necessaria: Quem certe finem tribus potissimũ ar/
gumẽtis uerissime colligimus: ex nobis primũ quippe

qui passione hac sumus omni criminũ labe a perpetuo tanq̃ carcere liberati ut Io · iii . oportet axaltari filium hominis ut omnis qui credit in eum non pereat sed ha beat uitam eternam· Ex Christo deinceps qui per inau ditam passionis humilitatẽ supremę exaltationis glo/ riam promeruit ut Lucæ ulti· oportuit Christum pati & sic intrare in gloriam suam. Postremo ex Deo Patre cuius salubrę decretum ad Christi passionem attinens & scripturis diutissime pręnunciatũ/ & ueteri lege ue/ rissime præfiguratum adimpleri oportebat : ut Lucæ xxii· filius hominis secundum ꝙ diffinitum est uadit: & Lucę ulti · hæc sunt uerba quæ uobis loquutus sum cum adhuc uobiscum essem quoniã necesse est impleri omnia quæ de me scripta sunt in lege Mosi & ꝓphetis/ & psalmis/ scriptum enim est quoniam oportebat Chri stum pati/ & a mortuis resurgere· Diuinus autem Pa/ ter eterna uoluntate ad salutem humani generis redi/ mendam Christi passionem instituit/ ut Apostolus ad Ro· viii · proprio filio nõ pepercit Deus sed pro nobis omnibus illum tradidit:& Esayę· liii · Dominus in eo omniũ nostrum iniquitates posuit/ & eum in infirmita te conterere uoluit:eidemq; promptissimam cruciatus perferendi/ ac substinendæ mortis uoluntatem inspira uit:ut ibidem sequitur oblatus est quia ipse uoluit: nec eum (quod facillime potuisset) a persequentibus uendicauit:unde illud Math. xxvii· Deus deus meus

ut quid me dereliquisti. Tradidit itaq; omnipotens Pater unicum filium eterna uoluntate: Filius ut Deus eadem & uoluntate/ & operatione cum Patre seipsum libenter exposuit: uerum ut homo uoluntate a Patre inspirata/ & charitate diuinitus informata propositam sibi mortem subiuit. Iudas nimia explendæ auaritiæ cupiditate eum prodidit. Pylatus Cæsaris tum formi/dine/ tum reuerentia impulsus q Imperatoris iram nō mediocriter metuebat/ maiestatē mirifice obseruabat illum uerberibus seuissime cruciatum dimisit. Iudei ob liuorem/ inuidiam/ malignitatem crucifixerūt: illi gloriam sempiternam: isti damnationem eternam promeruerunt. Posset aūt fortasse quispiā non īmerito dubitare Pont. Sanctissime si uoluntariam Christus una cum diuino patre mortem obiuit quid nam flagicii qd ue facinoris Iudæ Pyllato ac Iudeis est ascribendum cui facillime responderi potest Deum ipsum filii passionem/ non tamen a flagiciosis illis atq; facinorosis hominibus tam graue tamq; indignū facinus perpetrari uoluisse: unde ꝑ eis orauit filiꝰ Luc. xxiii ignosce illis Pater qa nesciūt qd faciūt: nesciuerūt certe quid facerēt cum nō redemptionē sed Christi aflictionē/ nō diuinū decretū sed propriū liuorē: non Deū sed hoiem illudendū/ excrutiandū & penitus occidendū sibi ꝑposuerint. Quod quidem efficere non potuissent nisi ipse propria uoluntate ultro se morti tradidisset: licet hoc minus

recte sentientes abnuerint/ eumq; preter uoluntatem illusiones/cruciatus/ac mortē ipsam fuisse perpessum asseuerarint: ex uerbis Math · xxvi · Pr̄ mi si possibile est transeat a me calix iste : ignorantes plane Christi uoluntatis particionem: diuinam scilicet & humanam & hanc uel sensilem uel rationalē: & adhuc rationalem per modum naturæ / & per modum rationis diuisam illam thelisim/ hanc bulisim appellarunt · Christum itaq; humana sensili/ac naturali uoluntate dolores cor/poris/ uerbera/ cruciatus/ ac acerbissimam mortem ut/pote naturæ contrariam refugisse non est qui dubitet: sed rationali uoluntate ea omnia ut ad finem ordinata ac a diuino patre præstituta libere sustinuisse explora/tissimū est: unde sequitur non sicut ego uolo sed sicut tu: uolebat enim secundum rationem diuinam uolun/tatem impleri/ tametsi aliud uelle se pro sensili appeti/tu manifestissime significauit : & inde Christus par/tim hostia/ partim sacerdos est habitus hostia quidem per carnem : per spiritum uero sacerdos : ac idem ipse se in spiritu offerebat in carne offerebatur · Id sane aduer/tendum est Christum nō tam a Iudeis q̄ a Gentilibus crudelissime passum fuisse: Vt Esay · liii · & Math · xx · Tradent eum Gentibus ad deludendum/ flagellandū & crucifigendum: licet Christi passio salutis effectum in Iudeis habuerit : Quorum plurimi in eius morte Sacrosancto baptismatis fonte respsi sunt: ut Actuū · xi ·

Quibus tradentibus Gentes ipse extremam passioni manū imposuere : & quidem tempore cōuenientissimo Iuna·xiiii·id est prima azimoꝝ die Math . xxvi · qui apud Iudeos celeberrimus habebatur : & hora tertia Marci·xv·erat autem hora tertia & crucifixerūt eum: tertiam dico diei & si parasceue·i·passionis pręparatio ab hora fere noctis noua initium sumpserit: tunc enim omnes Sacerdotum principes Christum mortis reum cōmuni iudicio censuerunt ; q̄uis ab illa usq; ad eius passionem hora pene sexta pertrāsierit: ut Io·xix· itaq; quam Io·quasi sextam a passionis initio computauit· Marcus diei tertiam affirmauit. Iuuenili aūt & uirili etate perpessus est Christus ut & maiorem in nos dilectionem/ pietatem / & charitatem ostenderet : cum in florentissimo ac perfectissimo uitę statu pro nobis mori non recusarit: & nostrum omniū illo ipso postremo resurrectionis die reuiuiscentiū futuram qualitatem in seipso prænunciaret : ut Apostolus ad Ephe·iiii·donec occurramus omnes in unitatem fidei/& agnitionis filii Dei in uirum perfectum in mensura plenitudinis Christi·Loco item conuenienti & cruciatus & mortem substinuit in caluariis. i·loco iudiciario ubi flagiciosi/ ac paricidæ capite mulctabantur : prope Iherusalem Vrbem a deo electam ad sacrificia obeunda: quę simul omnia (quod uerissimum est sacrificium) futuram Christi passionē pręfigurabant: ut ad Ephe·v·tradidit

semetipsum pro nobis hostiam & oblationem Deo in odorem suauitatis: & quia uniuerso terrarũ Orbi eius mortem fore notissimam oportebat totius terrę habitabilis medium, ipsiusq; Iudeę delegit Emporium iuxta illud psalmi Deus autem Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ ·i· Iherusalem: accessit & humilitatis exemplũ sicut enim genus mortis turpissimũ non abhoruit: ita ad maximam eius humilitatem pertinuit ut in loco tam celebri & dedecus & mortem ipsam perpeti nõ recusaret· Et adhuc inter latrones perniciosos: ut Esayæ·liii · uaticinium impleretur & cum sceleratis reputatus ẽ: Quod qdem longe alia a iudeis effectum ratione: alia a Deo Patre fuisse ordinatum minime dubitamus: Christum illi inter latrones medium crucifixerunt ut eorum latrocinii ac malefactorũ particeps haberetur: Deus uero ut in ipsa crucis specie clarissime indicaret quæ in eius iudicio omnium hominum esset facienda discretio ut qui crederent a dextris hoc est in eterna beatitudine: qui non crederent a sinistris id est perpetua damnatione collocarentur · At cũ mors Crucis execratiõis mors esse putaret ut Dephte· xxi · maledictus est a Deo qui pendet in ligno, alicui forsam minus consentaneum uideretur Christum Crucis id est execrationis mortem substinuisse: sed obiectioni ad Gala·iii· respondet Apostolus Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictus:

& secunda ad Corinth ·v· is qui nō nouerat peccatū pro nobis peccatum fecit ·i· ut maledictus peccati pœnam passus est: confitendum igitur pro nobis maledictum suscepisse quem pro nobis mortuū minime inficiamur· Quod q̄dem mortis genus conuenientissimū, ac sapientissime institutum apparet: ut & exemplum nobis pręberet nullam mortem licet indignā homini secundum uirtutem ac diuinā institutiōem uiuenti pro Deo suo ac pro tuendis eius religiosissimis institutis esse metuēdam: & in eo in quo deliquit homo pateretur, sicut ·n· Adam salutare præceptū contemnens ex ligno infœlicissimū pomū excepit unde eterna mors: ita Christus in Crucis ligno īmeritas delicti pœnas luit unde ꝑpetua uita orta est: & Adę (quod ille per eius cōtumatiā ingratissime amiserat) per summā patris obedientiam benignissime restituit iuxta illud psalmi quę nō rapui tunc exoluebam· Huius etiam Sacratissimi ligni in antiqua lege ꝑfiguratio accedit, nā Archa lignea hūanū genus a diluuio est præseruatū: Virga lignea Moses populū liberauit, ꝓstrauit Pharaonē, amarā aquā in dulcem cōmutauit: & ut Amalech uinceret pasis circa uirgā ligneā manibus exorauit. Sed te o sacratissimū crucis lignū ꝑfidi īmanesq; iudei ob hāc maxime causā elegerūt ut ꝑ te suę & ꝑfidię, & īmanitatis detestabilissimū facinus perpetrarent: Christus ut fructuosissimū per te suę & fidei, & pietatis opus ꝑficeret: illi ut per te uitā turpissime delerent: iste ut mortem gloriosissime

summoueret: illi ut per te Saluatorem morti seuissime destinarent: iste ut morti iam destinatos pientissime uindicaret: illi inscipienter & crudeliter p te saluatorē nostrum multifariam aflixerunt: hic aūt sapientissime ac humanissime turpissimā pro nobis mortem subiuit Que ceteris omnibus execrabilior ac formidabilior tā diuersas angustias, tam graues dolores, tam nefarios demū cruciatus ānexos habuit: ut Treno. primo in xpi psona merito affirmetur attendite & uidete si est dolor similis sicut dolor meus: & profecto Pont. Beatissime mens cōcipere, ratio discurrere, intellectus considerare nō ualet aflictionū, ac dolorꝝ xpi uim magnitudinem atqꝫ uarietatē, qppe que sensum omnē exuperat: & .n. humanis oībus tum corporis tū anime passiōibꝰ in eū seuitū est: passus a gentilibus & iudeis, a uiris & mulieribus ab ancillis .s. hostiariis Petrū bis terue ptinacissime accusantibus: a principibus eū iniustissime cōdemnantibus: & eorꝝ ministris crudelissime exequentibus iuxta illud Psalmi Quare fre. gen. & po. me. sunt inna. asti. reg. ter. & pri cō. i unū aduer. do. & aduer. chr. eiꝰ passus a familiaribꝰ & notis a Iuda igratissime prodente a Petro eum timidissime negante: ab amicis illum turpissime deserentibus: p blassemias in fama: in honore & gloria per irrisiones & contumelias: per uestium diuisionem in bonis: passus quoqꝫ omnibus in membris acculeatis spinis illisum caput: manꝰ ac pedes acutissimis clauis confixi: plurimis facies alapis repcussa

sordidissimis etiã sputis cõmaculata: perpessum deniq̧ corpus uniuersum flagella innumera / & tormenta per horrenda / quæ & acriora / & intensiora sentiebant̃ q̃do quidem a corpore optime formato / ac Spiritus sancti uirtute cõpacto mitissime ferebant̃. Passus item omni bus corporeis sensib9 Tactus primũ flagella seuissima clauosq̧ acutissimos persensit: Gustus acerbissimã / & fellis / & aceti amaritudinẽ delibauit: pestiferum loci deinceps quo est cruci affixus fetorem Olfatus hausit: Auditus postmodũ innumeros execrantiũ ac illuden/tium aculeos percepit. Visus postremo profusissimos charissimę genitricis fletus ac eiulatus / imensum disci puli a se unice dilecti dolorem / & luctum amarissime cõspexit Perpessus demũ acerbiorẽ tanto dolorem q̃to diuturniorẽ: nõ enim subito (ut hi qui gladio interimi solent) est de medio subtatus. Passus & scd̃m animã ut Hyer. xii. dedi dilectã animã meã in manus inimicoꝝ eius: & Math. xxvi. Tristis est aïa mea usq̧ ad mortẽ: & in Psalmo repleta est malis anima mea. i. doloribus eo quidẽ maioribus quo uberior / atq̧ prestantior inde fructus hoc est nostri redẽptio cõsequebat̃: perpessus est inq̃ secundũ aïam & q̃a oïa humani generis delicta uti ꝓpria coasũpsit: ut in Psalmo uerba delictoꝝ meo rum: & q̃a nocumentũ illatũ ob eius innocentiã nõ sibi debitũ considerauit: nec aliquẽ ei cõpatientẽ inspexit: Iuxta illud Esay. lvii. iustus aũt perit & nõ est qui re/cogitet in corde suo: adeo igitur acerba / adeo uehemẽs

adeo affligens fuit hæc passio ut ad eam profecto exprimendam uerba non suppetant/ mens refugiat/ nec eius acerbitatẽ/ uim/ ac magnitudinem ualeat considerare. Sentiens aũt Iesus intensis cruciatibus ad finem se iam deductum/ ac de proximo animã Patri Deo esse redditurum: necnon oĩa ueteris legis præcepta iam diu premonita impleuisse: & oẽs cessasse Prophetias (ut Sanctissimi atq; doctissimi Pont. præcessoris tui utar uerbis) postq̃ prophetata uenerunt/ prout dixit Io. xii cũ exaltatus fuero a terra oĩa trahã ad meipsum: nõnulla in cruce uerba ad nostrã maxime ptinentia eruditionẽ pientissime ꝓtulit. Pater ignosce illis/ ut charitatẽ atq; mãsuetudinẽ i acerrimos etiã inimicos nobis ꝓponeret Hodie mecũ eris in paradiso/ ut pietatẽ & clementiam Christianis omnibus esse retinendã apertissime indicaret. Mulier ecce filius tuus/ ut liberoꝝ in parentes honorem/ rursus parentum in liberos beneuolentiam significaret. Sitio/ ut uerã illam & corporis & animi salutem ac beatitudinem præ cæteris auidissime sitiremus. Helay helay lanazabatani/ ut Deum ipsum de omnibus uitę nostræ ratiõibus nõ consuleremus modo uerum etiã ad incredibilem eius in nos beneficentiam liberalissime cõfugeremus. Pr̃ in manus tuas cõmendo spiritũ meũ/ ut actiones studia/ ac desideria nr̃a non in fluxis his uel fortunę uel naturę muneribus uerum in unius dũtaxat Dei contẽplatione ꝑpetuo collocaremꝰ Postremo consumatũ est. i. perfecta expletaq; sunt oĩa:

primū·n·moralia quę summæ in ꝓximū charitatis con tinent preceptis uerissime Christus absoluit nam ex ingenti quadam & Patris/ & proximi dilectiōe passus est secundum illud Io.xiiii·ut cognoscat mundus quia diligo Patrem & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio: & Apostolus ad Gal·ii· dilexit me/& tradidit semetipsum pro me. Deinde (ut Theologi dicunt) Cerimonialia præcepta quæ ad sacrifitia & oblationes ordinabantur sua passiōe Christus impleuit seipsum uerum sacrificium offerens moriendo: ut Aplus ad Collo·ii·nemo uos iudicet in cibo/ aut in potu/ aut in parte diei festi/ aut neomeniæ/ aut sabbatoꝝ quæ sunt umbra futuroꝝ: corpus aūt xpi·i·xpi corpus ad ea sa/crificia uti corpus ad umbram comparatur·Impleuit deinceps iudicialia præcepta/ quæ ad sarciendā passis iniuriam dirigebant pro omnibus pensionis debitum propria morte soluendo: ut ad Ephe·v·Ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit uos & tradidit se/metipsum pro uobis. Quibus ꝑlatis capite inclinato (ut euangelicis utar uerbis) Spiritum patienter emi sit:& morte terribiliū ultimo langores omnes/ dolores & passiones cōpleuit: pro nobis non pro se interfectus: pro humani generis salute: non pro Patre oblatus: pro nostra demū beatitudine: non pro Spiritu Sancto est immolatus. Quamobrem pientissime ac sapientissime Pont·si recte pieqꝫ nobiscū aīo repetemus nō poterimꝰ permagnis Dei nostri illusionibus non angi/ intensis.

cruciatibus nõ torqueri: & acerbissima crucis morte nõ
intensissime cruciari: non. n. pro nr̄a uel dignitate uel
salute amicos/cognatos/fratres/ ipsos deniq́ȝ parentes
morti expositos intuemur. Quos quidē nihilominus
magna funeris pompa/maximis gemitibus/amarissi/
mis singultibus/grauissimis ululatibus ꝓsequeremur
At uero pro amicis summū omniū Opificem: Vnicū
salutis nr̄ę Auctorē pro cognatis: pro fratribus Deum
omnipotentē: Creatorem pro parētibus/ac Factorem
nostrū pro nobis ipsis interēptū cōspicimus. O summā
Dei clementiā quæ ꝑ unigeniti mortem crudelissimā
nos a peccato liberauit. O ineffabilem benignitatē quę
tanto munere nos ab inimici ptāte seiunxit. O amorē
incōparabilem/ qui preciosissimo sanguine & corpore
nos a tenebris ad lucem/a morte ad uitā/a corruptiōe
ad incorruptionem/ab exilio ad patriam/a luctu ad
gaudium/a terreno ad cœleste regnū/a miseria ad sum
mam fœlicitatē & ueram deniq́ȝ beatitudinē euocauit.
Cui a nobis gratię habendæ sunt infinitę per infinita
seculorum secula: ac totis uiribus enitendum ut tantū
Dei beneficium nobis non perpetuę damnationis iudi
cium/sed eternæ beatitudinis fructum pariat/ ut cum
tremendus ille Iudicii dies/ac persoluendę rationis no
uissimū tempus aduenerit quicquid Dn̄s & Saluator
noster crudelissime iudicatus contulit integrū mitissi
me iudicaturus inueniat.

Finis.



Rutilii Zenonis serui inutilis Iesu Christi Antistitis sancti Marci pro Ferdinãdo Italo Rege ad gloriosissimum Alexandrum Sextum Pont· Summũ Oratio·

SI ex meo huc iudicio·P·Beatissime Alexander Sexte Pont·Summe in cõspectu pene diuino Beatitudinis tuæ & huius sacrosanctissimæ sedis Apostolicæ dicturus me contulissem:profecto nunc omni pauore mihi liber animus conquiesceret·offenderem enim præter me unum alium neminem·Siquid in dicendo fortasse mea oratio parũ diserti hominis & minus exercitati minusq; memoris per diuturnam ualitudinem meam cõmitteret·Impresentia uero quam considero præter imbecillitatem mearum uiriũ in maxime mediocri ingenio personam excellentissimã quã in dicendo sustinere tam repẽte coactus sum nõ possum nonnihil· B· P· in tanto illustrium doctissimorũq; hominum consessu atq; ordine : & in tam celeberrimo toti9·R·P·Christianæ atq; adeo totius orbis terrarum(ut ita dicam)theatro hoc eminentissimo non contremiscere·Cogitandum siquidem mihi est·B·P· non qua hic structura in dicendo uerborum aut nitore utar sermonis:Nemini ꝑfecto in huiuscemodi munere amplissimo congratulandi summi istius tibi Pontificatus:tuæq; Sanctitatis extollẽdæ uel elingui etiã penitus uerba locupletissima deesse possent



ita ultro atq; undiq; diuinarum laudum tuarũ campus patentissimus argumẽtaq; uberrima interdicendum se offerunt. Mihi in dicendo accuratissime conquirendum est non quod me in tanta amplitudine tua dicere delectaret. P. B. hominem tuæ beatitudinis & hui9 sacrosanctissime sedis apostolicæ laudis ac gloriæ ab ineunte ætate cupidissimum: sed diligẽtissime mihi suspiciendum quid Sanctitatem tuam potius & hanc celsitudinem perbeate. S. apostolicæ audire deceat: neq; item exponere Ferdinandi. R. inuicti nomine conueniat sacrosanctissimæ maiestatis tuæ & hui9 almæ sedis apostolicæ filii certe q̃ obsetuantissimi. Quæ summa est eius animi constantissima magnitudo: par omnibus in rebus prudẽtia grauitas: modestia: humanitas & mansuetudo. Plusq̃ insignis eadem hoc est uiuacissima & maxime ardens Religio atq; in ipsum deum immortalem flagrantissimus cultus. Mirum itaq; & incredibile dictu est: P. B. quanta Rex inclitus lætitia & q̃ nõ uulgari gaudio sit perfusus pro mutua & antiqua beniuolentiã illa inoffensaq; familiaritate ac perdulci cõsuetudine quę inter uos pariter cum florente ætate & cumulo honorum ad hunc usq; faustum tibi & fortunatum diem mirifice creuit: percepto statim nuntio declarationis Summi Pontificat9 tui supremæq;

dignitatis·Eapropter Rex Religiosissimus hos ue-
nerabiles Præsules:hos excellentes & illustres uiros:
ac totius Regni sui primarios ciues & me postremo
Legatos ad Sanctitatem tuam q̃ celeriter fieri potu-
it per aduersam ualitudinem suam mittere studuit·
Qua quidem ornatissimæ legatiōi in quo magis fer
uentissimi eius erga Sanctitatem tuam amoris luce
ret publico testimonio splendor Federicum secundũ
suum genitum Principem hunc illustrem præfecit
præclarissimis eius rebus gestis nunquam satis meo
iudicio laudatum uirum: cuius splendoré modestiæ
ut tua Sanctitas nouit humanissimęq; integritatis a
grestes remote & inimice & nationes & uerentur e-
gregie & diligunt nõ uulgariter·Quam ob rem san-
ctissime Pontifex in ista tam sublimi celebritate at-
que culmine Summi Pontificat9 tui ut tantum mu-
nus eius nomine beatitudini tuæ congratularemur
Legati huc profecti sumus Antistes diuinæ totius·
R·P·Christianæ·

❡Præsul Sanctissime uniuersi generis humani no-
uum & mirabile sidus lumine incredibili micans ar
dentissime religionis dulcissimęq; sanctimonię tuę
iam pacé reuocãs simul & introducẽs in Rẽp·Chri
stianam ueluti ex longo quodam postliminio uene-
no squalenté funestissimoꝝ belloꝝ ciuiliũq; discor-
diaꝝ Impator & Rex unice Romanoꝝ moderatorq;

terrarũ in solio Christi iam nullius brachio aut gla
dio egens terreni hominis legionibus & armis coele
stibus hoc est pontificiis tonitruis atq; fulminibus
munitus gloriosissimeq; accinctus. Quem hodie ut
excellẽtissimo nobis munere diuino datũ est in hoc
tanto ac tam celeberrimo beatorum fratrum tuorũ
Reuerendissimorũ Cardinalium sanctissimaeq; apo
stolicae huius sedis concilio in celsitudine ista sacro
sanctissima maiestatis tuae atq; sceptri sedẽtem uicẽ
gerentẽ xp̄i rerũ oĩm cõditoris redẽptoris saluatoris
foelicitatorisq; nr̄i oĩm dei optimi Max. Vicariũ ue-
rissimũ: uicariũ integerrimũ: uicariũ sacrosctĩssimũ:
ducẽ populi xp̄iani uigilãtissimũ pastorẽ atq; patrẽ
totius humani generis indulgentissimum brachiis
apertis ac deuotissimis animis salutamus contem-
plamur suscipimus ueneramur atq; ad sacratissimos
pedes tuos ex Christi amore dei Optimi Max. pro-
cumbentes quanta possumus reuerẽtia atq; cultu in
tua mortalitate ipsum deũ immortalem contuentes
adoramus qui te populo xp̄iano conseruãdo iamdiu
procellis & tempestate per diuturna publicoꝝ odio-
rum intestinarumq; simultatum periclitanti & pe-
ne inclinato clam pereuntium seculoꝝ prouidentissi
me praefecit ut non ab re. B. P. Alexandri tibi faustũ
& praeclarum nomen totius orientis uictoriis nobi-
lissimis: optimisq; spoliis ornatissimũ perditissimis
caetera temporibus nostris nutu dei cuius iniussu ni

hil sit seruatum putem. Suscipe igitur tu nunc. P. S. munera atq; uota supplicia Regis integerrimi defecati animi eiusq; ardentissimæ in te colendo uoluntatis simul & sempiternæ de more maiorum obedientie perpetuæq; obseruantiæ in sacrosanctissimā hāc apostolicam sedem flagrantissimā eius amoris ac fidei æternæ īmortalia monumenta: quæ oīa nos beatitudini tuæ eius nomine gloriosissime Pont. q̄ pie atq; caste possumus offerimus & litamus in sede ista mundissima īmobili: & uelut ara diuina ac loco acceptissimo ipsi deo immortali sanguine Iesu xp̄i filii eius & cruore innocentissimo adhuc nostris sceleribus mortalium undiq; profluente tepenti & madente hæc oīa desuper eodem ipso deo īmortali pientissimis & iustissimis oculis cum toto exercitu & classe beatoꝝ totaq; cœlesti uictrici & triumphanti illa militia supernoꝝ accolarum prouidentissime inspectā te. Quod reliquū est existimo Pōt. Beatissime opus nunc nō esse morari ulterius Sanctitatem tuam in cōmemorandis innumerabilib9 beatitudinis tue laudibus aut in recensenda Regis serenissimi erga maiestatem tuam incolumi obseruantia & in hanc sapientissimā sedem ap̄licam uetere & antiqua mente præsentiq; animo. Cumulus nāq; amplissimaꝝ laudum tuarum. B. P. eiusmodi est ut uix ille quidem ōrone cuiusq; p̄stringi possint si eas & sanctus pudor tuus & honestas spectādę uerecūdię corā explicari aliquo

modo pateret̃ ita sancte ac fortiter per septẽ & trigin
ta fere annos in militia hac xp̃i primarius Cardinalis
in maximis semper gerendis rebus optimus quidem
athleta te exercuisti ut gloriosissimũ Calixtũ Sum-
mũ Pont. auunculum tuum optime cõsulendo atq;
agendo præclarius tanq̃ in speculo quodã rarissimæ
integritatis tuæ in omni genere laudis representare
& excellere mirifice uidearis. Illud uero qđ ad Regẽ
probissimũ attinet nõ tã eius uerba grauissimi hoĩs
q̃ facta maxime egregia magnificentissimi principis
testatum p̄ñtibus & posteris quoties res tulit in su-
sceptione amantissime oĩum laboꝝ pro tuenda & il
lustrãda maiestate diuini cultus sanctissimæq; hui9
sedis ap̃licæ conseruãdo splendore laudatissime reli-
querũt. ¶Hoc profecto ip̄m est qđ nunc Opt. Rex
instituti excellentis & antiq moris cũ maioꝝ oĩum
illustriũ suoꝝ tum ul̃ cũ primus diui Alfonsi Regis
patris sanctissimi p̄ñtisq; desiderii sui optĩe memor
pollicet̃ & spondet in hoc ipso munere oblatę & pręstitæ
Sanctitati tuæ sempiternę obediẽtiæ pietatis re
uerentiæ atq; amoris summi erga te sui nõ solũ for-
tunas: quod certe in donis humanis minimũ semper
fuit munus sapientibus q̃tum in terris quodcũq; lu-
cet fragile atq; caducũ est breuiq; cũ ipsa umbra inte
rituꝝ: sed cum amplexu oĩm periculoꝝ expositõneq;
florẽtis regni labores uniuersos ingenuus industriã
operã studium atq; curã terra mariq; quantum eius

tulerint uires maritimo terrestrique exercitu: se demũ ex xp̃i amore & obseruantia dei Opt·Max·nullius alterius·ergo prius sibi liberisq; suis q̃ beatitudini tuæ eccl̃iasticæq; maiestati excolẽdæ esse unq̃ defuturũ· Et qñ oportuerit pro amplificando numine diuini cultus: itẽ sacrosanctissimæ huius Ro·ec·principis dei decreto & Reginæ gentiũ tuæ beatitudinis & hui9 ap̃lice sedis bono q̃ete ac maiestate uobis cõseruanda atq; augẽda aduersus quoscunq; sc̃tã & uictricia arma cape· ¶Hæc sunt sanctissime Summe Pont·quare ad beatitudinẽ tuã legati missi sumus q̃ hæc ad·S·tuæ pedes exponerem9 id Beatissime Põt· q̃d si minus elegãter licuit p̃ angustias tp̃m: at certe q̃d nobis sup̃est liberũ per q̃ obseruãtissime p̃egimus Proinde obsecramus & obtestamur beatitudinẽ tuã & sacrosanctã hanc ap̃licam sedẽ pleni p̃fecto spei serenitatẽ intuentes sacerrimi cõspectus ur̃i eo aĩo atq; ea beniuolentia munera hæc Regia suscipiatis qua ip̃e Rex p̃stantissimus ardẽtissima obseruantia & in sc̃tãm ur̃am auctoritatẽ excellentissima pietate ante ipsius xp̃i oculos equissimi iudicis archana oĩa secretiora cordiũ mortaliũ perscrutãtis sacrificia hæc sua sanctitati tuę sempiterne oblatę & prętitę obedientię nostris expiatis manibus atq; ore dicatissimo beatitudini tuę ac celsitudini sacrosanctissimę hui9 sedis ap̃licę duce & bene iuuante deo amantissime & maxime reuerenter obsignauit misit & obtulit·

Finis·


BIBLIOTECA
XV
NAZIONALE CENTRALE
FIRENZE

